



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Baconi Baronis de Verulamio, Vice-Comitis S.
Albani, Summi Angliæ Cancellarii, Opera omnia, Quæ
extant: Philosophica, Moralia, Politica, Historica ...**

Bacon, Francis

Francofvrti ad Moenvm, 1665

XXVI. Prometheus, sive Status hominis.

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10497643-5

Artes incepta prædicunt, & statim deserunt, & ad lucrum & commodum declinant, instar *Atalantæ*.

Declinat Cursus, Aurumq; volubile tollit.

Itaque mirum minime est, si Arti non datum sit, Naturam vincere, & victam ex pacto illo & lege Certaminis perimere, aut destruere; sed, Contrarium eveniat, ut Ars in Naturæ potestate sit, atque veluti nupta mulier conjugi pareat.

XXVI.

PROMETHEUS, SIVE STATUS.

HOMINIS.

Tradunt Antiqui Hominem fuisse opus *Promethæi*, atque ex Luto factum, nisi quod *Promethæus* particulas ex diversis Animalibus Massæ admiscuerit. Ille autem cum opus suum beneficium tueri vellet, neque Conditor solum generis humani videri, verum etiam Amplificator, ad Cælum ascendit furum, fâces secum portans ex Ferulâ, quibus ad currum Solis admotis, & accensis, Ignem ad terram detulit, atque cum hominibus communicavit. Ob tantum *Promethæi* meritum memorant homines parum gratos fuisse: Quinetiam conspiratione factâ, & *Promethæum* & inventum ejus apud *Jovem* accusarunt. Eares non perinde accepta, atque æquum videri possit. Nam ipsa accusatio *Jovi*, & superis admodum cordi fuit. Itaque delectati non solum ignis usum Hominiibus indulserunt, verum & novum Mûnus omnium maxime amabile & optabile (perpetuum nimirum Juventam) hominibus donarunt. Illi gestientes & inepti, donum Deorum Afello imposuerunt. Inter redeundum autem laborabat Afellus siti gravi, & vehementi; cumque ad fontem quendam pervenisset, serpens fonti custos additus, eum à potu prohibuit, nisi illud quodcumque esset, quod in dorso portaret, pacisci vellet: Afellus miser conditionem accepit, atque hoc modo instauratio Juventutis, in pretium haustus pusillæ aquæ, ab hominibus ad Serpentes transmissa est. Verum *Promethæus* à Malitiâ sua non abscedens, atque hominibus post præmium illud eorum frustratum, reconciliatus, animo verò orga *Jovem* exulcerato, dolos etiam ad Sacrificium adhibere veritus non est. Atque duos aliquando tauros *Jovi* dicitur immolasse, ita tamen ut in alterius pelle carnes & adipem amborum incluserit, alteram pellem ossibus tantummodo suffarcinârit; atque deinde religiosus scilicet, & benignus *Jovi* optionem concessit. *Jupiter* vastricem, & malam fidem ejus detestatus, sed nactus occasionem ultionis, Ludibrium illud tauri elegit; atque ad vindictam conversus, cum se insolentiam *Promethæi* reprimere non posse animadverteret, nisi hominum genus (quo opere ille immensum turgebat, & efferebatur) afflixisset, *Vulcano* imperavit, ut sceminam componeret pulchram & venustam, cui etiam Dii singuli dotes suas impertierunt, quæ ideo *Pandora* vocata est. Huic sceminæ inter manus vasculum elegans posuerunt, in quo omnia mala, & ærumnas incluserant; subsidebat autem in imo vase spes. Illa cum vasculo suo ad *Promethæum*, primo se contulit; eum captans, si fortè ille vas accipere vellet, & aperire; quod ille cautus & astutus rejecit. Itaque ad *Epimethæum* *Promethæi* fratrem, (sed diversæ admodum indolis) spreta deflexit. Ille nihil cunctatus,

vas temerè aperuit; cumque mala illa omnigena evolare cerneret, serò sapiens, magnâ contentione, & festinatione vasi operculum suum rursus indere conatus est, vix tamen ultimam, & in fundo residentem Spem servare potuit. Postremò *Promethæo* *Jupiter* plurima & gravia imputans, quòd ignis olim furtum fecisset, quòd *Jovis* majestatem in sacrificio illo doloso ludibrio habuisset, quòd donum ejus spernatus esset, novo etiam addito crimine, quòd *Palladem* vitare tentasset, eum in vincula conjecit, & ad perpetuos cruciatus damnavit. Erat enim jussu *Jovis* adductus ad montem *Caucasum*, atque ibi Columnæ alligatus, ut nullo pacto se movere posset; aderat autem Aquila, quæ jecur ejus interdiu rostro tundebat atque consumebat, noctu autem quantum comelsum erat, renascebatur; ut nunquam doloris materia deficeret. Memorant tamen hoc supplicium aliquando finem habuisse: *Hercules* enim in Poculo quod à Sole acceperat, navigato Oceano, ad *Caucasum* pervenit, atque *Promethæum* liberavit, Aquila sagittis confixa. Instituta autem sunt, in honorem *Promethæi* apud nonnullos populos Lampadiferorum certamina, in quibus decurrètes accensas faces ferebant, quas si extingui contigisset, victoriam sequentibus cedebant, & se subducebant, atque is demum palmam accepit, qui primus facem accensam ad metam usque detulisset.

Fabula contemplationes plurimas veras atque graves & præ se fert & premit. Nonnulla enim in ea jam pridem rectè notata, alia planè intacta sunt. *Promethæus* Providentiâ liquidò & disertè significat: Atque in rerum universitate sola desumpta & delecta est ab Antiquis Hominis fabrica & constitutio; quæ providentiæ attribuantur tanquam opus proprium. Hujus rei non solum illud in causa esse videtur, quòd Hominis natura Mentem suscipit, atque Intellectum Providentiæ sedem, atque durum quodammodo videtur, & incredibile ex Principiis brutis, & surdis excitare, & educere Rationem & Mentem, ut ferè necessariò concludatur providentiâ Animæ humanæ indita esse, non sine exemplari & intentione, & Authoramento Providentiæ majoris: Verum & hoc præcipuè proponitur, quòd homo veluti Centrum Mundi sit, quatenus ad causas finales; adeò ut sublato è rebus Homine, reliqua vagari sine proposito videantur, & fluctuari, atque, quod ajunt, scopæ dissolutæ esse, nec finè petere. Omnia enim subserviunt Homini, isque usum & fructum ex singulis elicit & capit. Etenim Altrorum conversiones, & Periodi, & ad distinctiones temporum, & ad Plagarum Mundi distributionem faciunt. Et Meteora ad præsagia tempestatum, & venti tum ad navigandum, tum ad Mola, & Machinas, & Plantæ, atque Animalia cujuscunque generis, aut ad domicilia hominis & latebras, aut ad vestes, aut ad victum, aut ad Medicinam aut ad levandos labores, aut denique ad delectationem & solatium referuntur: adeò ut omnia prorsus non suam rem agere videantur, sed hominis. Neque temerè additum est, in Massâ illa & Plasmate, particulas ex diversis animantibus desumptas, aque cum luto illo temperatas & confusas fuisse, quia verissimum est, omnium rerum, quas universum complectitur, hominem rem maxime compositam esse, & decompositam, ut nò inmeritò

ab an.

ab antiquis mundus minor vocatus sit. Quamvis enim verbi Microcosmi Elegantiam, Chimici nimis putide, & ad literam acceperint, & detorse- rint, dum in Homine Omnem Mineram, Omne vegetabile & reliqua, aut aliquid eis proportionatum subesse volunt; Manet tamen illud solidum & sanum quod diximus; Corpus Hominis omnium Entium & maxime mi- llum, & maxime organicum reperiri, quo magis admirandas virtutes, & facultates suscipit, & nascitur: Simplicium enim Corporum Virres pauca sunt, licet certa & rapida, quia minime per Mixturam refracta, & comminuta, & librata existunt; virtutis autem Copia & excel- lencia in Mistura & compositione habitat. Atque nihilominus Homo in Originibus suis videtur esse res inermis & nuda, & tarda in Juvamentum sui, denique quae plurimis rebus indigeat. Itaque festi- navit *Promethem* ad inventionem ignis, qui omni- bus, ferè humanis necessitatibus & usibus suppe- ditat & ministrat levamente & auxilia: ut si for- ma formarum Anima, si instrumentum Instru- mentorum Manus, Etiam auxilium auxiliorum, si Opus Opium Ignis dici mereatur. Hinc enim O- perationes quamplurima; Hinc Artes Mecha- nicae; Hinc scientia ipsa infinitis modis adju- vantur. Modus autem futuri Ignis aptè describitur, atque ex natura rei. Is fuisse perhibetur per virgam ex ferula ad Currum Solis admotam. Ferula enim ad percussorem & plagas adhibetur, ut luculenter significetur, Ignis genera- tionem per corporum violentas percussiones & collisiones fieri, ex quibus attenuantur Mate- ria, & in motu ponuntur, & ad calorem Cae- lestium suscipiendum preparantur, ignemque veluti ex curru Solis modis clandestinis, ac quasi furtim decerpunt & rapiunt. Sequitur Parabola pars insignis. Homines loco gratulationis & gratiarum actionis, ad indignationem, & expò- stulationem versos esse, atque accusationem & *Promethi* & Ignis apud *Jovem* instituisse, eam- que rem *Jovi* acceptissimam fuisse, adeo ut ho- minum commoda ob hoc nova munificentia cum- mulaverit. Quorsum enim ista criminis ingrati erga Authorem suum animi (quod vitium omnia ferè complectitur) approbatio & remuneratio? Res aliò spectare videtur. Hoc enim vult Alle- goria; Inculpationem & Naturae suae, & Artis per homines factam, ex optimo Mentis statu proficisci, atque in bonum cedere; contrarium Diis invisum, & infaustum esse. Qui enim Na- turam humanam vel Artes receptas in immensum extollant, & effusi sunt in admirationem earum rerum, quas habent, & possident, & scientias quas profitentur, aut colunt, perfectas prorsus censeri volunt, illi primò aduersus divinam na- turam minus reverentes sunt, cujus perfectioni sua ferè aequiparant; Deinde iidem erga homi- nes magis sunt infructuosi, cum se ad fastigium rerum jam pervenisse putent & tanquam per- fecti ulterius non querant. Contrà qui Natu- ram & Artes deserunt, & accusant & quari- moniarum pleni sunt, illi verè & magis mode- stam animi sensum retinent, & perpetuo ad no- vam industriam, & nova inventa extimulantur. Quo mihi magis mirari libet Hominum insci-

tiam, & malum Genium qui paucorum arro- gantiae servuli, istam Peripaticorum Philoso- phiam, portionem Graecae sapientiae, nec eam magnam, in tanta veneratione habent, ut om- nem ejus inculationem non solum inutilem, sed suspectam & ferè periculosam reddiderint. Atque magis probandus est, & *Empedocles*, qui tanquam furens, & *Democritus*, qui magnà cum verecun- dia, quaruntur, Omnia abstrusa esse, nihil nos scire, nil cernere, veritatem in profundis puteis immersam, veris falsamiris modis adjuncta, at- que intorta esse; (nam Academia nova modum prorsus excessit) quam *Aristotelis* schola fidens & Pronunciatrix. Itaque monendi sunt Homines, delationem Naturae & Artis Diis cordi esse, & no- yas Eleemosynas, & donaria à divina benignitate impetrare, & inculationem *Promethi* licet Au- thoris & Magistri, eamque acrem & vehementem magis sanam & utilem, quam gratulatio- nem effusam esse; denique opinionem Copiae inter maximas causas Inopiae reponi. Quod verò at- tinet ad Doni genus, quod homines in praemium acculationis dicuntur accepisse (florein Juventu- tis videlicet non deciduum) ejusmodi est, ut vi- deantur Antiqui de Modis & Medicinis ad senec- tatus retardationem, & vitae prolongationem facientibus, non desperasse; sed illa utique nu- merasse potius inter ea, quae per Hominum incuriam, & incuriam licet semel accepta perire, aut frustrata sunt; quam inter ea quae plane negata & unquam concessa fuerint. Significant enim, & innuunt, ex ignis verò usu, atque ex artis errori- bus bene & strenue accusatis, & convictis, muni- ficentiam divinam ad hujusmodi dona hominibus non defuisse; ipsos sibi deesse, cum hoc Deorum munus a seculo imposuerint lento & tardigrado; Ea videtur esse Experientia res stupida & plena mo- rae, & cujus gradu tardo & testudineo antiqua il- la quaximonia de *Vita brevi*, & *Arte longa* nata est.

Atque certè nos in ea sumus opinione, fa- cultates illas duas, *Dogmaticam* & *Empiricam*, adhuc non bene conjunctas & copula- tas fuisse, sed nova Deorum munera, aut Phi- losophiis abstricis tanquam levi Volucris; aut lentae & tardae experientiae tanquam Afello im- posita esse. In quo tamen de Afello illo non male ominandum est, nisi interveniat illud acci- dens viae & sitis. Existimamus enim, si quis ex- perientiae, veluti certà lege & Methodo con- stanter militet, neque inter viam experimen- ta, quae vel ad Lucrum faciunt, vel ad ostenta- tionem hauriendi siti corripiatur, adeo ut ad ea comparanda onus suum deponat & distrahatur; eum munificentiae divinae auctae & novae Bajulum non inutilem fore. Quod verò domum illud ad Serpentes transferit, ea videtur adjectio ad Fabulam ornatus ferè gratia; nisi forte illud inferuerint, ut Homines pudeat, se cum igne illo suo, & tot artibus ea in se transferre non posse, quae Natura ipsa compluribus aliis anima- libus largita est. Etiam illa subita Hominum cum *Prometho* reconciliatio postquam spe sua decidissent, monitum habet utile & pru- dens. Notat enim Hominum levitatem & temeritatem in experimentis novis. Ea enim si statim

statim non succedant, & ad vota respondeant, præproperâ festinatione, homines incœpta deserunt, & præcipites ad Vetera recurrunt, iisque reconciliantur. Descripto statu hominis, quoad artes & intellectualia, Parabola transit ad Religionem; culturam enim Artium, Cultus Divinorum comitatus est; quem statim Hypocrisis occupavit & polluit. Itaque sub duplici illo sacrificio, eleganter representatur persona verè Religiosi & Hypocritæ. Alteri enim inest adeps, Dei nimirum portio, ob inflammationem, & suffitum, per quod affectus & Zelus ad gloriam Dei incensus, atque alta petens significatur; In sunt viscera charitatis, in sunt carnes bonæ, & utiles. In altero nihil præter ossa arida, & nuda reperiuntur, quæ nihilominus pellem faciunt, & hostiam pulcherrimam & magnificam imitantur; per quæ rectè notantur externi, & inanes ritus & Ceremoniæ jejunæ, quibus homines cultum divinum onerant & inflant, res ad ostentationem potius compositæ, quàm ad pietatem facientes. Neque satis est hominibus huiusmodi ludibria Deo offerre, nisi ea etiam illi imponant & impudent, ac si ipsè illa elegerit, & præscriperit. Certè Propheta sub Dei persona de hac optione expostulat: *Nam tandem hoc est illud Ieiunium, quod elegi, ut homo animam suam in aem unum affligat, & caput instar juncea demittat?* Post statum Religionis, Parabola se vertit ad mores, humanæ & vitæ conditiones. Atque pervulgatum est illud, & tamen rectè positum, per *Pandoram* significari Voluptatem, & Libidinem, quæ post vitæ civilis artes & cultum, & luxum, veluti ex dono ignis, & ipsa incensa est. Itaque *Vulcano* qui similiter ignem representat, officium voluptatis deputatur. Ab illa autem infinita mala, & in animos & in corpora & fortunas hominum unà cum sera pœnitentia fluxerunt; neque tantum in status singulorum verùm etiam in Regna & Respub. Ab eodem enim fonte bella & tumultus, & Tyrannides ortum traxere. Verùm opere prætiùm est animadvertere, quàm bellè & eleganter fabula duas humanæ vitæ conditiones, & veluti Tabulas sive Exempla sub personis *Promethæi* & *Epimethæi* depinxerit. Qui enim Sectam *Epimethæi* sequuntur; illi improvidi, neque in longum consulentes, quæ in præsentia suavia sunt, prima habent, atque multis sane propter hoc angustiis & difficultatibus, & Calamitatibus premuntur, & perpetuò ferè eum illis conflitantur; interim tamen genium suum placant, atque insuper ob rerum imperitiã multas inanes spes intra animum volvant, quibus tamen veluti suavibus insomniis se delectant, atque miseras vitæ suæ condiunt. *Promethæi* autem schola, homines nimirum prudentes, & in futurum prospicientes, multa scilicet mala, & infortunia cautè subinvenit & rejiciunt; Verùm cum hoc bono illud conjunctum est, ut multis voluptatibus, & varia rerum jucunditate se privent, & Genium suum fraudent, atque quod multò pejus est, Curis & sollicitudine & timoribus intestinis se crucient, & conficiant, alligati enim Necessitatibus columnæ, innumeris cogitationibus (quæ, quia volucres admodum sunt, per Aquilam signifi-

cantur) iisque pungentibus, & jecur mordentibus & corrodentibus vexantur; nisi fortè aliquando veluti noctu exiguam quampiam animi remissionem, & quietem nanciscantur; ita tamen ut statim subinde redeant novæ anxietates, & formidines. Itaque paucis admodum utriusque Sortis beneficium contigit, ut providentiæ commoda retinuerint, sollicitudinibus, & perturbationibus malis se liberarint; neque id quisquam assequi potest, nisi per *Herculem*, id est, Fortitudinem, & animi Constantiam, quæ in omnem eventum parata, & cuicumque forti æqua, prospicit sine metu, fruitur sine fastidio, & tolerat sine impatientiã. Atque illud notatu dignum est, Virtutem hanc *Promethæo* non innatam, sed adventitiã fuisse, atque ope aliena. Nulla enim ingenta, & naturalis Fortitudo, tantæ rei par esse possit. Sed hæc virtus ab ultimo Oceano, atque à Sole accepta & advecta est: Præstatur enim à Sipientiã, tanquam à Sole, & à meditatione inconstantia, ac veluti undarum humanæ vitæ, tanquam à navigatione Oceani; quæ duo *Virgilius* bene conjunxit:

Felix qui potuit rerum cognoscere causas,

Quique metus omnes, & inexorabile fatum

Subjecit pedibus strepitumque Acherontis avari.

Elegantissimè autem addit ad Hominum animos consolandos & confirmandos, *Heroem* istum ingentem in poculo sive urceo navigasse: ne fortè naturæ suæ angustias, & fragilitatem nimium pertimescant, aut causentur; ac si huiusmodi fortitudinis & constantia capax omninò non esset; de quo ipso *Seneca* bene ominatus est, cum dicat, *Magnum est habere simul fragilitatem hominis, & securitatem Dei.* Sed jam retrocedendum est ad illud, quod consultò præterivimus, ne ea quæ inter se connexa sunt, abrumperemus. Hoc est, de novissimo illo *Promethæi* crimine, quòd pudicitiam *Minervæ* sollicitasset. Nam & ob hoc Delictum gravissimum certè, & maximum, illam pœnam laniationis viscerum subiit. Illud non aliud esse videtur, quàm quod homines artibus, & Scientiã multà inflati, etiam Sipientiam divinam sensibus & rationi subicere sæpius tentent; ex quo certissimè sequitur mentis laceratio & stimulatio perpetua & irrequieta. Itaque mente sobriã & submissa distinguenda sunt humana & divina; atque oracula sensus, & fidei; nisi fortè & religio hæretica, & Philosophia commentitia hominibus cordi sit. Restat ultimum illud de ludis *Promethæi* cum tædis ardentibus. Hoc rursus ad Artes Scientias pertinet, sicut Ignis ille, ad cujus memoriam & celebrationem huiusmodi ludi instituti sunt; atque continet in se monitum, idque prudentissimum ut perfectio Scientiarum à successione, non ab unius alicujus pernicitate, aut facultate expectetur. Etenim qui ad Cursum & contentionem velocissimi & validissimi sunt, ij ad facem suam accentam servandam fortassè minus sunt habiles, cum à cursu rapido, æquè ac nimis tardo, periculum extinctionis immineat. Isti autem Luminum cursus & certamina jam pridem inter-

missa videntur, cum Scientiæ in primis quibusque authoribus, *Aristotele*, *Galeno*, *Euclide*, *Prothomæo*, maxime florere cernantur; atque successio nil magni effecerit, aut ferre tentaverit. Atque optandum esset, ut isti Ludi in honorem *Promethei*, sive humanæ Naturæ instaurarentur, atque Res certamen & æmulationem & bonam fortunam reciperet, neque ex unius cuiuspiam face tremulâ atque agitâ penderet. Itaque homines monendi sunt, ut se ipsi suscitent, & vires atque etiam vices suas experiantur, neque in paucorum hominum animalis & cerebellis omnia ponant. Hæc sunt illa, quæ in Fabulâ ista vulgari, & decantata nobis adumbrari videntur; neque tamen inficiamur, illi subesse haud pauca, quæ ad Christianæ fidei mysteria miro consensu innuant; ante omnia Navigatio illa *Herculis* in Urceo ad liberandum *Prometheum*, Imaginem Dei Verbi in carne tanquam fragile vasculo ad redemptionem humani properantis præ se ferre videtur. Verum non omnem in hoc genere licentiam nobis ipsi interdiciamus, ne forte Igne Extraneo ad Altare Domini utamur.

XXVII.

ICARUS VOLANS: ITEM SCYLLA, ET CHARYBDIS, SIVE, VIA MEDIÂ.

Mediocritas, sive Via Media, in Moraliibus laudatissima est; in Intellectualibus minus celebrata, sed non minus utilis, & bona: In Politicis tantam suspecta, & cum iudicio adhibenda. Morum autem *Mediocritates*, per viam *Icaro* præscriptam; Intellectualium autem, per Viam inter *Scyllam* & *Charybdim* difficultatem & periculum decantatam, ab Antiquis notantur. *Icaro* præcepit Pater, cum Mare esset prætervolandum, ut viam aut nimis sublimem, aut nimis humilem caveret. Cum enim Alæ cerâ essent conglutinatæ, periculum erat si altius efferretur, neocera ex Solis ardore liquefieret; Sin ad vaporem Maris propius se submitteret, ne ab humore cera minus tenax efficeretur. Ille vero ausu Juvenili in celsiora contendit, atque in præceps lapsus est. Parabola facilis & vulgata est: Virtutis enim via inter Excessum, & Defectum recto tramite aperitur. Neque mirum erat, si *Icarum*, Juvenili Alacritate gestientem, Excessum perdiderit. Excessus enim ferè Juvenum: Defectus Senum vitia esse solent. Ex Semitis tamen malis: & nocivis, elegit *Icarus*, (si planè pereundum erat) meliorem. Defectus enim rectè estimantur Excessibus praviore. Quandoquidem Excessui, nonnihil Magnanimitatis subit, & cognitionis cum Cælo, ad instar volucris: Defectus verò humi serpat, instar Reptilis. Præclare *Heraclitus*; *Lumen Siacum*, *Optima Anima*. Nam si ex humo humorem contrahat anima: profus deprimitur & degenerat: Interim tamen Modus adhibendus est; ut ab illa Siccitate laudatâ, Lumen reddatur subtilius, non corripitur incendium. Atque hæc cuius ferè nota sunt. At via illa in Intellectualibus inter *Scyllam* & *Charybdim*, certè & peritiam navigandi, & fœlicitatem desiderat. Si enim in *Scyllam* incidant Naves, illiduntur cautibus: Sin in *Charybdim*, absorbentur. Cujus Parabolæ ea videtur esse

vis (quam nos breviter perstringemus, tametsi infinitam trahat contemplationem) ut in omni Doctrina & Scientiâ, earumque Regulis & Axiomatibus, Modus teneatur inter Distinctionum Scopulos, & universalium Voragine. Hæc enim duo naufragiis ingeniorum, & Artium famosa sunt.

XXVIII.

SPHINX, SIVE SCIENTIA.

Traditur *Sphinx* fuisse Monstrum specie multiforme; facie, & voce virginis; penis volucris; unguibus *Gryphi*: Jugum autem Montis in agro *Thebanotenebat*, & vias obsidebat: Mos autem ei erat, viatores, ex insidiis invadere, ac comprehendere: quibus in potestatem redactis, *Ænigmata* quædam obicura & perplexa proponebat, quæ a Musis præbita, & accepta putabantur. Ea si solvere, & interpretari, miseri captivi non possent; hæsitantes & confusos in illis, magna sævitia dilaniabat. Hæc calamitas cum diu grassaretur; præmium propositum est à *Thebanis*, (ipsum *Thebarum* Imperium) viro qui *Sphingis* *Ænigmata* explicare possit, (neque enim alia superandæ illius ratio erat) Tanto pretio excitatus *Oedipus* vir acer, & prudens, sed pedibus læsis, & perforatis conditionem accepit, & experiri statuit. Postquam autem fidens animi & alacer se coram *Sphinge* stitisset: Illa ab eo quæsit, quale tandem illud Animal esset, quod primò quadrupes natum, postea bipes factum esset, deinde tripes, ad extremum rursus quadrupes. Ille præterenti animo respondit, Illud in Hominem competere, qui sub ipsum partum & infantiam quadrupes provolvitur, & vix repere tentat; nec ita multo post erectus & bipes incedit; in Senectute autem baculo innititur, & se sustentat, ut tanquam tripes videatur! extrema autem ætate decrepitis Senex labantibus nervis, quadrupes decumbit, & lecto affigitur. Itaque vero responso victoriam adeptus *Sphingem* interemit! Cujus corpus Asello impositum, veluti in Triumpho ducebatur; ipse autem ex pactis Rex *Thebanorum* creatus est. Fabula elegans, nec minus prudens est: atque videtur conficta, de scientiâ, præteritum conjuncta practica. Siquidem Scientia non absurdè Monstrum dici possit, cum ignorantibus & imperitis profus admirationi sit. Figura autem & specie multiformis est, ob immensam varietatem subjecti, in qua Scientia versatur: vultus & vox affingitur Muliebris ob gratiam & loquacitatem: Adduntur Alæ, quia Scientiæ & earum Inventa momento discurrunt, & volant, cum Communicatio Scientiæ sit instar Lumine de Lumine, quod affatim incenditur. Elegantissimè autem attribuuntur unguis acuti, & adunci; quæ Scientiæ Axiomata, & Argumenta penetrant mentem, eamque præhendunt & tenent, ut movere & elabi non possit: quod & Sanctus Philosophus notavit; *Verba Sapientum* (inquit) sunt tanquam *Aculei*, & veluti *Clavi* in *Altum* defixi. Omnis autem Scientia collata videtur in arduis & editis Montium. Nam res sublimis merito putatur, & excelsa, & ignorantiam tanquam ex superiore loco despicens,